



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XI. Synodi Sueßionensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

debitum honorem habeat, & regni nobis commissi prosperitas proveniat, & iste populus Christianus pacem habeat, & vobis lex & iustitia conservetur, & vos nobis, sicut antecessores vestri nostris antecessoribus fecerunt, debitum honorem & au-

xilium exhibeatis. Et qualiter hoc consideratum & veraciter confirmatum manibus propriis habeamus, hic vobis relegetur.

Et relecta sunt in conspectu totius populi supra scripta capitula.

TITVLVS XI.

Synodi Sueffionensis.

REgnante in sempiternum Domino Deo univerforum, anno incarnationis eiusdem Domini Dei nostri Iesu Christi DCCCCLIII. anno verò regni gloriosi Karoli filij Hludouici religiosissimi Augusti tertio decimo, Indictione prima, Episcopis iuxta instituta canonum synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Karolus, eosque apud urbem Sueffionum in monasterio sancti Medardi & sancti Sebastiani x. Kalendas Maias convenire præcepit; ubi, post habitis secularibus curis, ipse quoque Rex adesse dignatus est, ut non solum devotione Ecclesiæ se filium esse ostenderet, verum etiam, sicuti opus esset, protectorem regia potestate monstraret.

ACTIO I.

Cum itaque Præfules diversarum Ecclesiarum, pio Rege multa humiliter & prudenter proponente, tractassent potius quædam quam definissent, vi. Kalendas Maias synodo præsentibus Hincmaro Remorum, Vuenilone Senonum, Amalrico Turonum metropolitanis Episcopis, idem Remorum metropolitanus Episcopus venerabilis Hincmarus ostendit non paucos à decessore suo Ebbone, postquam canonicè depositus fuerit, nec verò canonicè restitutus, inrationabiliter ordinatos. Iam Rex absque ulla ambitione synodum solus ingressus simpliciter cum Episcopis residebat. Serie igitur depositionis memorati Ebbonis plenissimè prolata, multis Metropolitanis pluribusque aliis Episcopis, qui auctores fuerunt, recitatis, restitutionis autem illius non canonicæ, immo nec verisimilis, paucis admodum & aliarum regionum Præfulibus nominatim expressis, claruit præfatum Ebbonem episcopale officium illicitè repetisse, quosque gradibus ecclesiasticis æstimatus fuerit

Tom. II.

promovisse, damnationi potius obnoxios effecisse, Hincmarum autem successorem ejus, canonicis sanctionibus cautè ac subtiliter observatis, ad sedem accessisse, & præter decreta majorum in hac parte nihil omnino moliri; sicut in gestis synodalibus exinde ab Episcopis ejusdem Concilij more canonico confirmatis plenius edocetur.

I I.

Postmodum venerabilis Wenilonis Senonicae urbis metropolitani Episcopi suffraganeus Nevernensis Ecclesiæ, nomine Herimannus, pro suis excessibus, quos corporali molestia sæpe dicebatur admittere, à sanctis Præfulibus modestè & acriter increpatus est, quod prius frequenter correptus ordini sacratissimo perseverantia levitatum adhuc injuriam faceret. Et in præsentia Principis infirmitatem pastoris nequaquam fastidientis injunctum est Metropolitano ejus ut adjunctis secum aliquot Episcopis ad oppidum Nivernense accederet, & omnia ibi negotia ecclesiastica sapienter componeret, ipsum verò coepiscopum suum Herimannum apud urbem Senonum secum haberet, donec æstivum tempus, quod valde contrarium infirmitati illius ferebatur, pertransiret, & sic Domino annuente abstinentia competenti assuetum, episcopali gravitate instructum, apostolicis moribus informatum, clerus & populus cum ad sedem propriam utiliter favente Dei gratia revocaret.

I I I.

De Burchardo etiam, qui Carnutum Ecclesiam tenebat, statutum est ut aut se idoneum ad sumendum episcopalem gradum admonitu Vuenilonis metropolitani Episcopi ostenderet, aut certè pronam in se clementiam Principis cognoscens cederet, in utroque Dei judicium experturus. Igitur sequenti die causa illius ad medium

D

deducta, venerabiles Episcopi, Remorum metropolitanus Hincmarus, Lugdunensium Pardulus, Aurelianorum Agius, seorsim eum admonere precepti sunt ut si absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur; aut si non posset, propter Dei timorem, impossibilitatem ingenue confiteretur. Parte cleri quae praesens erat ac laicorum bonum ei testimonium perhibente, memoratis Praesulibus suadentibus, ad Concilium intromissus, tanto quidem gradu se dignum esse profiteri arrogantiae asseruit esse, non veritatis. Si quis vero crimen aliquod sibi vellet obicere, ad id purgandum se paratum esse firmavit. Nullo qui id conaretur existente, decrevit sancta synodus ne diu Carnutum sedes vacaret, sed directis illuc, secundum voluntatem metropolitani Episcopi venerabilis Vuenilonis, qui electionem praefati Burchardi recognoscerent, & ipsi referrent, optantibus canonicè ordinaretur Episcopus.

I V.

Præterea Cenomannicæ urbis Aldricus Episcopus paralyti dissolutus epistolam direxit, causam suæ absentiae insinuans, petensque ut maximè sibi adhuc viventi & quodocunque defuncto sacris precibus opitularentur. Quod exuberantes caritate se facturos omnes promiserunt, & Metropolitano illius Turonicæ urbis venerabili Episcopo Amalrico ut ad eandem urbem accederet injunxerunt, & quaecunque essent eidem Ecclesiae proficua ut strenue exequeretur, unanimiter præceperunt.

V.

Ante hoc tempus venerandi Concilij, obtinente Pippino, Pippini Regis filij Hludouici piissimi Augusti filio, Aquitaniam, etiam consentiente avunculo ejus glorioso Rege Karolo, cui eadem provincia in partem obtigerat, ecclesiastica disciplina & militari soluta, eadem regio à suis indigenis valde vastata est, & multi illic impune illicita perpetrarunt. Tandem aliquando respiciente Deo populum suum, idem Pippinus à suis contemptus & desertus, atque in potestatem avunculi sui Karoli redactus, consilio reverentissimorum Pontificum & procerum attonsus, & in habitu monachico ad monasterium sancti Medardi custodiendus & docendus deductus est. Ibi

duo quidam monachi habitu, sui propositi vix credibiliter transgressores, ardentis immodica cupiditate, eundem Pippinum abducere conati sunt, & pacem Christiani populi dissipare. quos praesentibus diversorum cœnobiorum religiosi Abbatibus, & causam subtiliter juxta regulam beati Benedicti examinantibus, concors congregatio sancti Medardi à sua unanimitate praecidit, attestata se ab horum crimine longè abstinere, quod usitatas culpas jam inde ab initio hujus religionis monachorum omnium, præter duntaxat Eutyichis & aliorum hæreticorum, facile superaret. Ejectos jussu venerabilis Rothadi Suesionum Episcopi ad synodi audientiam Archidiaconus deduxit, & partim confessi, partim convicti conspirationis malum perpetrassè, canonum severitate depositi sunt, Presbyteri quippe erant, & separatim in monasteria sui ordinis longè distantia relegati; ut deinceps nemo tale quid committere auderet, nisi qui similia perpeti non timeret.

V I.

Post hæc gloriosissimus Dominus Rex Karolus coram sacra synodo quendam Diaconum Remensis Ecclesiae, nomine Ragamfridum, impetit quòd præcepta falsa regio nomine compilasset, sicut ad eum quorundam suggestionibus & verisimilibus indicis esset perlatum. Vnde quia putatum est quibusdam significationibus ut purgationem sui isdem Diaconus subterfugere voluisset, aliis aliter dicentibus, visum est omnibus in eodem sacro conventu degentibus ut ab omni Concilio illi interdiceretur ne à parrochia Remensi quoquo modo praesumpisset abscedere donec se ab illis quæ ei impingebantur idoneum redderet, vel competenter satisfacere procuraret. quod & omnibus singulatim Episcopis illi auctoritate episcopali præcipientibus ex divino mandato est interdictum.

V I I.

Septima actione eidem sacre synodo idem Christianissimus Dominus Rex Karolus hæc quæ sequuntur capitula proposuit, & consulto eorundem Episcoporum ea per regnum suum innotescenda, exercenda, & conservanda commonuit, præcepit, & confirmavit.

✠

Ista capitula constituta sunt à Domno Karolo in synodo apud Suctionis civitatem in monasterio sancti Medardi anno incarnationis dominicæ DCCCLIII. in mense Aprili.

CAP. I.

VT Missi nostri per civitates & singula monasteria tam Canonicorum quam monachorum sive sanctimonialium unà cum Episcopo parrochiæ uniuscujusque in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius qui monasterium retinet, quem volumus & expressè præcipimus ut præsens sit, vitam ibi degentium & conversationem inquirent, & ubi necesse est corrigant, & ubi desunt, congruas officinas construere jubeant, & ubi sunt factæ, & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, & victum ac potum & vestitum atque cetera necessaria pro qualitate & possibilitate loci & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalitatem supervenientium hospitum & receptionem pauperum ibidem disponant & ordinent. Ecclesiæ quoque luminaria & ornatum debitum ordinent, & thesaurum ac vestimenta seu libros diligenter inbrevient, & breves nobis reportent. Inbrevient etiam quid unusquisque Ecclesiarum prælatus, quando prælationem Ecclesiæ suscepit, ibi invenerit, & quid modò exinde ibi minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. quid etiam Nortmannis per nostram commendationem sive sine nostra commendatione datum sit, quidve relictum, vel quid à quoquam ibi in elemosyna datum. Numerum etiam Canonicorum & monachorum sive sanctimonialium uniuscujusque loci describant, & nobis referant; ut secundum qualitatem & quantitatem loci, cum consilio Episcopo, rum & fidelium nostrorum, ubi minor numerus fuerit, nostra auctoritate addamus, ubi verò indiscretione prælatorum super fuerit, ad mensuram redigamus. Inquirent quoque quot tempore avi nostri Karoli & Domni genitoris nostri Hludovici unoquoque in loco fuerint, & quot modò sint, & ubi loca à Nortmannis sive à quibuslibet aliis destructa sunt & penitus annullata, quot ibi nunc propter paucitatem rerum & devastationem earundem constitui vel ordinari possint, ut inde cum consensu fidelium nostrorum ordinemus quid de cetero agendum sit. Et qualiter abbatiarum prælati, & in locis sacris inhabitantes, de his quæ Missi nostri præcepe-

Tom. II.

rint, obedierint, nobis diligentissimè & capitulatim referre procurent.

I I.

Vt Missi nostri diligenter investigent per singulas parrochias, simul cum Episcopo, de monasteriis quæ Deum timentes in suis proprietatibus edificaverunt, & ne ab heredibus eorum dividerentur, parentibus & prædecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt, & postea in alodem sunt data, ut describant quæ sint, & à quo vel quibus in proprietatem data sunt, & nobis renunciare procurent; ut cum Episcopis & ceteris fidelibus nostris consideremus quid & qualiter inde secundum Dei voluntatem & nostram salutem agere debeamus.

I I I.

Vt Missi nostri per singulas parrochias una cum Episcopo parrochiæ ipsius requirant de capellis & abbatialis ex casis Dei in beneficium datis, qualis census inde exeat, ut Ecclesia de qua sunt exinde vestituram habere possit, & nobis renuntient, ut hoc nostra auctoritate commendetur atque firmetur, & secundum qualitatem & quantitatem loci Clericos & luminaria ibi ordinent, & loca restaurari faciant.

I V.

Denuntiandum est omnibus & à Missis nostris ordinandum ut omnes Ecclesiæ & Presbyteri sub immunitate ac privilegio & ordinatione atque dispositione Episcoporum singularum parrochiarum, in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam & Capitularia Domni Karoli Imperatoris avi nostri & pij Augusti Hludovici Domni & genitoris nostri permaneant.

V.

Vt Missi nostri diligenter investigent cum Episcopo & prælati monasteriorum & per fideles & strenuos viros in unaquoque parrochia de rebus ecclesiasticis in alodem datis; & sicut evidentibus & veris indicis ac auctoritatibus compererint, diligenter à quo & quibus datæ sint, vel quantum exinde sit, describant, & nobis renuntient.

V I.

Vt Missi nostri expressè & cum omni

D ij

diligentia cum Episcopo & praelatis monasteriorum per singulas parrochias requirant de rebus ecclesiasticis unde nonae & decimae solvi debent & non solvuntur, & persolvi ab eisdem res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quae rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur, & praelatus ipsius causa Dei unde res esse noscuntur, & ille qui eas detinet & nonam ac decimam solvere detrectat, simul cum Missis nostris ad nostram jubeatur venire praesentiam; ut tunc veritate comperta, & diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde praecipiamus. Volumus etiam ut investigent Missi nostri qualiter illi qui easdem res ecclesiasticas, unde decimae dantur sive non dantur, illas salvas habeant, & in casticiis, & in silvis custoditis, vel si terrae aut mancipia inde perditae sint, vel aliquid hujusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem, & omnia per breves nobis renuntient Missi nostri.

V I I.

Vt Missi nostri per singulas parrochias Comitibus & reipublice ministris ex banno nostro praecipiant ne mala vel placita in exitibus & in atris Ecclesiarum & Presbyterorum mansionibus, neque in dominicis vel festivis diebus tenere praesumant, sed Comes convenientem locum confideret & inveniat ubi stationem ad mallum tenendum constituat. quia nefas est ibi reos puniri ubi respectu divinae reverentiae misericordiam consensu fidelium & decreto praedecessorum nostrorum consequuntur.

V I I I.

Regino lib. 2. c. 319. Vt Missi nostri Comitibus & omnibus reipublice ministris firmiter ex verbo nostro denuntient atque praecipiant ut a quarta feria ante initium quadragesimae, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschae, mallum vel placitum publicum, nisi de concordia & pacificatione discordantium, tenere praesumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini usque post consecratos dies observent; necnon & in jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus simili observatione eisdem feriatis dies venerari omnimodis studeant.

I X.

Vt Missi nostri omnibus per singulas Regino lib. 2. c. 413. parrochias denuntient quia si Episcopus aut ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis propter metum aliorum, & ut ipsi criminosi corrigantur, cum tali discretionem sine ulla occasione indebita, sicut in synodo conlocutum est, & vel in vii poenitentiam temporaliter & corporaliter agant, ne aeternaliter pereant; si seniores ipsorum colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur contendere praesumpserint, sciant quia & bannum nostrum component, & simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harniscaram durissimam sustinebunt.

X.

Vt Missi nostri omnibus reipublice ministris denuntient ut Comites vel reipublice ministri simul cum Episcopo uniuscujusque parrochiae sint in ministeris illorum quando idem Episcopus suam parrochiam circumierit, cum Episcopus eis notum fecerit, & quos per excommunicationem Episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate & potestate ad poenitentiam vel rationem atque satisfactionem adducant.

X I.

Regino lib. 1. c. 363. Sciant etiam fideles nostri quia concessimus in synodo venerabilibus Episcopis ne super beneficia ecclesiastica vel praestarias, etiam si Episcopus aut quilibet monasteriorum praelatus irrationabiliter petierit, praecipua confirmationis nostrae illo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione se unusquisque comescat.

X I I.

Reg' no lib. 1. c. 169. Barchard. lib. 1. c. 171. 173. Ivo par. 3. c. 234. Decretal. Gregor. I X. lib. 1. tit. 19. c. 3. Manopia. Vt Missi nostri omnibus per illorum ministerium denuntient ne commutationes rerum vel mancipiorum quilibet praelatus eorum vel mancipiorum sine licentia vel consensu nostro facere praesumat, neque mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet. Vide licet ut mancipia quae pro ecclesiastico dabantur, in Ecclesiae servitute permaneat, & ecclesiasticus homo, qui commutatus fuerit, perpetua libertate fruatur.

